

ORATIO
IN FVNERE MA-
GNIFICI ET CLARIS-
SIMI VIRI D. DOCTORIS
VVOLFGANGI LAZII
VIENNENSIS, SACRAE CAES. MA-
IESTATIS CONSILIARII, ET
HISTORICI, ETC.

Scripta & habita in templo Diui Petri, Vi-
ennæ, Die XXII. Iunij,

PER
DIOMEDEM CORNARIVM
ZVICCAVIENSEM.

Addita sunt epitaphia aliquot cum
epicediis clarissimorum viro-
rum ac Poëtarum.

VIENNÆ AVSTRIÆ EXCVDEBAT
Michaël Zimmerman.

Anno M. D. LXV.

ORATIO

IN FVNERE MA-

GNIFICET CLARIS

SIM VITAE DOCTORIS

VVOLFANGI LAZII

VINNENSIS SACRAE MA-

ESTATIS CONSILII

HISTORICUS

Scripta & habita in templo D. al. Petri Vi-

ennae, Die XII. Iunii

PER

DIONYSEUM CORNARIUM

AVICAVIENSEM

Adhuc in epigraphis aliquot cum

epigraphis claudis morum viro-

rum ac poetarum.

VENNAE

AVICAVIENSIS

AVICAVIENSIS

AVICAVIENSIS

Anno M. D. LXV.

ORATIO FVNEBRIS.

COnuenimus, magnifice domine Rector, sacrae Romae Caesareae Maiestatis Consiliarij, caeteriq; doctrina & prudentia ornatissimi Auditores, ad funus magnifici & clarissimi viri, Doctoris VVOLFGANGI LAZII, in quo & de animarum immortalitate, & de venturo iudicio cogitandum est. Is nudiustertius placida obdormitione potius, quam morte ex hac misera & ærumnosa vita decessit, eamq; feliciter cum illa beata & perpetua commutauit. Ex cuius obitu omnes pij & boni homines ingens accepere vulnus, ac publicus & communis Archigymnasij, & totius Reipublicae luctus est, quæ eximio artis Medicæ Doctore, præcipuo Vniuersitatis ornamento, orbatæ est. Obijt enim vir non solum in Medicina excellentissimus, optimè & pacis, & belli tempore de multis ægrotis sua scientia, fidelitate & beneuolentia meritis: sed etiam Caesareus Historicus, tum hîc, tum apud exterâs nationes vbique clarissimus,

simus, quibus historijs conscribendis tantum perfecit, ut veteribus artificibus prestantissimis in hoc genere conferri facile possit, sicut postea audiemus. Occidit enim, heu occidit Superintendens & Gubernator Archigymnasij summus & præcipuus. Quæ itaque ingratitude, quæ impietas maior dici, aut excogitari possit, quam talis viri obitu non adfici? Quare quum de summo & doctissimo viro verba sint facienda, oratio requirebatur eloquentissimi arte elaborata, exquisita & absoluta, quæ laudibus ipsius amplissimis splendore suo par esse posset: Ego verò quum ab ista dicendi facultate longissimè absum, & meæ mihi conscius sim infantia, plurimosq; in hoc clarissimorum virorum catu, Oratoria instructos, mihi hac in re parum exercitato longè præcellere coram videam, meritò ab omnibus reprehendendus essem, si mea sponte has dicendi partes suscepissem. Verum ne in laudatissimam nostri Archigymnasij consuetudinem peccarem, quæ tanti bonis viris est, ut non dubitent difficilia & ardua, eaq; omnino, quæ supra vires sunt, moliri, modò illam seruent: Deindè etiam, quum à magnifico domino Rectore Magistro GEORGIO SEDELMAIR, tum à spectabili domino facultatis Medicæ Decano ANDREA DADIO, eiusdem artis Doctore admonitus,

tus sim, vt hoc religiosum officium piè defuncto
 funebri oratione præstarem: Itaque pro virili pau-
 cis admodum, quantum per lachrymas potero,
 de vita optimi præceptoris dicam, vbi, vt res ipsa
 postulabit, etiam de doctrina ipsius aliqua erunt
 inferenda postmodum & de felici eius ex huius
 vitæ miseris transitu in æternam Sanctorum sedē
 aliqua adijciam breuissimis, quòd mihi eam ser-
 monis copiam, & benè dicendi facultatem deesse
 intelligo, quam huius viri virtutes deposcunt.
 Dum ergo Senatui Vniuersitatis amplissimo ob-
 temperare studeo, deindè etiam hac obedientia
 me acceptorum beneficiorum memoriam tueri
 testor, veniam mihi dari à vobis peto, si expecta-
 tioni vestræ nō responderit oratio (temporis enim
 angustia expoliri à me non potuit) interim me
 quæso benignè & patienter audite.

Atq; vt initio, more solito, quædam de patria
 dicam. Natus est dominus VVOLFANGVS LA-
 ZIVS anno Christi millesimo, quingentesimo,
 decimo quarto, pridie Calendarum Nouembris,
 post horam tertiam matutinam in hac celeberrima
 vrbe Vienna. Pater ipsius SIMON LAZIVS
 natus Stucardiæ in Sueuia, eiusdem Medicæ artis
 Doctor fuit, in eademq; hac Vniuersitate Vien-
 nensi per annos vndecim Professore continuo

egit publicum, salubris Medicinæ doctrinam prælegens, vir nobilitate & doctrina præclarus. Is industria & ingenij præstantiam in filio suo VVolfango facile animaduertens, in hoc vnicè operam dabat, vt non tantum hic, sed etiam reliqua domus tota piè & honestè viueret. Propterea quum facultates ipsi essent mediocres, ad bonarum artium ac Philosophiæ studia amplectenda hunc à teneris educauit & adfuefecit, vt iactis fundamentis verum Medicinæ studium alacrius & felicius sedulitate sua adsequeretur. Mater Otilia, matrona, quæ adhuc superstes viuít, honestissima, singulari sapientia & morum grauitate prædita vidua. Sed de his non opus est plura addere. Nam etsi maximè obscuris natus esset Maioribus, tamen virtute sua ita illis præluxit, vt si prius noti non fuissent, ab ipso initium memoriæ suæ acceperent (Libet enim verbis ipsius Ciceronis vtí) ac multò
 ,, fatius est, proprijs virtutibus florere, quàm Ma-
 ,, iorum opinione & imaginibus tantum niti: Et
 ,, posteris initium nobilitatis præbere, quàm aliun-
 ,, de acceptum, vita turpiter acta tenebras offunde-
 re. Et quia animus ipsius studiorum amore accensus erat, tantum in his profecit, vt anno ætatis suæ decimo sexto Magisterij gradum in patria Viennæ adsumeret, vbi etiam Collegam in Vniuersitate
 per

per biennium egit fidelissimum. Postea cum illustri domino à Starnberck Barone, cui pro Præceptore adiunctus erat, profectus Antuerpium, Coloniam, Louanum, vbi celebris est Academia, & alias inferioris Germaniæ, nec non & Galliæ quasdam vrbes hinc inde peragrando perlustrauit. Tandem Ingolstadtum se conferens, excellentes in Medicina Doctores ac Professores audiuit, ibidemq; in Medicina gradu Doctoratus insignitus est. Reuersus autem Viennam vocatus est Neapolim octo milliaribus ab hinc distantem, vbi postquam Medicinam per annum exercuisset, in Hungariam belli tempore turbulento ad curandos milites abiit, quos ægros feliciter sanauit. Inde consentaneum est, hunc virum non tantum pacis, sed & belli tempore inter ipsos milites Medicinam exercuisse. Postremò huic Archigymnasio diligenter operando, seduloq; in Medicina, tam Theorica, quàm Practica docendo, vltra viginti annos summa laude præfuit, vt meritò Primarij in hac arte Professoris nomen obtinuerit.

Edidit verò scripta aliquot utilissima & valde necessaria, inprimis typos chronographicos rerum Austriacarum, quos sacratissimo Romanorum Imperatori Ferdinando, sanctæ memoriæ, dedicauit, cui propter eximiam prudentiam, artem,

tem, fidem & virtutem charus fuit, atque idcirco eius Cæsar & Medicus, & Consiliarius, & Historicus dictus.

Edidit præterea Reip. Romanæ Commentarios, qui sanè liber non inter postremos, sed omnium præcipuos haberi debet. Habuit Autores vetustissimos, quos ex vetustioribus cœnobijs vtriusq; Carinthiæ, Styriæ, Cilij, Sueviæ, Helvetiæ, Brisgaudiæ, Alsatiæ, Suntgaviæ, & Nigræ sylvæ, inter tineas non sine situ & literarum iactura hætenus delitescentes, collegit manuscriptos, quos haud dubiè in Reip. literariæ vsum typis excudendos amicis, nisi mortem cum vita tam subito commutasset, libenter communicasset.

Descriptit item Viennam, numismatum quoque commentarios, variarum item gentium migrationes, & alia multa posteritati consecranda, quæ hîc singula recensere, nimis longum foret. Scripta itaq; indicant ingenium quale fuerit, qui labores, quod de multis benemerendi studium. Quem ipsius cursum vtinam non sæpè varij morbi interrupissent, quibus ferè perpetuò obrutus fuit, plura procul dubiò præstitisset.

De scriptis, & doctrina, & vitæ ipsius cursu, quantum in hac animi mei perturbatione, & temporis breuitate fieri potuit, dictum iam à me est.

Con-

Consequens nunc est, vt ad morbos & obitum huius viri me conferam.

Notum autem esse omnibus existimo, quòd per aliquot annos senex noster grauissimis & diuturnis morbis sæpè conflictatus fuerit. Nunc enim colicos dolores sensit vehementissimos, nunc calculi cruciatus perpeffus est, hinc paralyfis superueniens adeò eius vires debilitauit, vt per multas septimanas, nec pedes, nec manus suo officio satisfacere valerent. Hinc decima septima die mensis Iunij conuocatis ad se singulis cognatis & amicis, quos ob humanæ vitæ fragilitatem, & corruptam ac deprauatam naturam nostram, se offendiße certò sibi conscius erat, ex intimis animi suspirijs ac tristibus gemitibus, propter singularem misericordiam DEI, veniam sibi dari & ignosci ab ijsdem deprecatus est. Sequenti die manè intra horam quartam & quintam ex somno expergiscens, clara voce in lecto se erigens cecinit bonam partem Psalmi Dauidici: De profundis *Psal. 129.* clamaui ad te DOMINE, &c. Paulò post iterum,, capite reclinato aliquantisper quieuit. Circa vesperam amicos & domesticos suos, qui lecto adstabant, vt curam ipsius diligentem haberent, rogabat seriò, quibus confitebatur palàm, se quidem dolorem amplius nullum sentire, sed metuere, ne morbo-

b

morbo-

morborem vehementia hac nocte obrutus more-
retur: Rogandoq; instabat, ne pijs precationibus,
ac dulcissimis verbi diuini consolationibus ip-
sum adhortari cessarent, quod etiam astantes pol-
liciti sunt, & præstitere fideliter. Inprimis verò
nobilis ac magnificus vir IOHANNES IORDA-
NVS innumeris virtutibus præclarus, quando cum
suo intimè necessario D. D. LAZIO amanter col-
loqueretur, fecit etiam sacræ scripturæ mentio-
nem, inquiens: Placétne audire aliquid ex sacris,
quò passionis, mortis, ac liberationis nostræ per
CHRISTVM gratis donatæ suauiter recorderis?
Respondit ille placidissimis verbis: Hoc est ani-
mi mei desiderium ineffabile, hoc vnicum iam
iam morituro mihi solatium vltimum. Interea
accescit Sacerdos quidam afferens sacram *ouïa-
z*, quam post peractam prius confessionem de-
centem, secundum IESV CHRISTI Saluatoris
nostri vnici institutionem veram accepit. Post-
modum submissa ac debili voce cum astantibus
per totam ferè noctem vsque ad agonem de pijs
rebus colloquens, circa horam octauam matuti-
nam, diei Mercurij, quæ erat vigesima Iunij, pla-
cidè in Christo obdormiuit. Nam vires corporis
vitales adeò prostratæ erant, vt destillantes in pe-
ctus ex catarrho humores eijcere amplius non
valeret,

valeret, vnde paulatim impedita spiratione ceu
 somnum profundiorē inchoaturus, integris vſ-
 que ad extremum vitæ articulum sensibus, &
 mente rectissimè sibi constante, in vera FILII
 DEI agnitione è viuis sublatus est, postquam
 vixisset annos quinquaginta, menses septem, dies
 decem & nouem. Proindè quum fruatur nunc
 dulcissimo colloquio DEI, Angelorum ac cœle-
 sti læticia, quam alacri animo expetiuit, iuxta di-
 ctum: Beati mortui, qui in DOMINO moriun-
 tur: non opus est nobis sapientissimi Syracidæ
 pia commonefactione, vt huius summi Vniuer-
 sitatis Viennensis ornamenti mortem defleamus,
 ne ἀσέβειας, vel ἀναίδειας Stoicæ ab alijs accuse-
 mur. Non est nobis opus præficarum lugubribus
 concentibus & threnis, omni arte animos ad mœ-
 sticiam commouere conantium: Ipsa nos animis
 & intimis sensibus infixæ huius benefici, fidelis
 & salutaris Doctōris memoria concitat ad infeli-
 citatis nostræ considerationem, siquidem Cæsa-
 rea Maiestas patris sui inuictissimi FERDINANDI
 Cæs. piè defuncti Historicum eximium, & Con-
 siliarium fidelissimum: Professores Collegam &
 amicum dulcissimum: Artis Medicæ studiosi sa-
 lutaris huius artis Doctorem Practicum: Tota
 denique Vniuersitas Inspectorem supremum &

Apocal. 141

quasi caput suum amiserunt. Ille ipse doctissimorum & clarissimorum virorum interitus, est signum impendentium calamitatum, quemadmodum *Esai.* 57. > modum *Esaias*: Viros misericordiae, inquit, colligi, ne videant ventura mala: discedere in pace, > ut quiescant in cubili suo. Sicut exempla omnium aetatum & gentium testantur, praestantium virorum, per quos insigne aliquid vel in Ecclesia, vel in Repub. gestum, aut effectum est, migrationem ex hac vita, publicas calamitates breui sequutas esse, quum praesertim populi ingratitude accessit, spernentis illa dona, & extenuantis beneficia, quae *DEVS* per illos vel Ecclesiae, vel Reip. benefactores largitus est. Sed quid dico, poenas sequutas esse, quandoquidem quotidie Turcica tyrannis in Christianos miserabiliter saevitiam suam exercet, insidiasque nobis struit, quibuscunque potest modis? Quem latet, nuper praeteriti pestilentis morbi lues, quae in Austria per aliquot annos vehementer grassata est, & hinc ad vicina loca progressa, etiam alias regiones plurimas inuasit, ut ita mirum in modum hinc inde defauiens, innumera hominum millia consumpserit? Metuendum profecto, ne grauioribus calamitatibus *DEVS* nos puniat, si haec, & similia tam crudelia mala nos ad vitae emendationem pror-

prorsus non commouent. Hic metus mutatio-
num & æumnarum publicarum, quas huius cla-
rissimi viri mors, & aliorum celeberrimorum ac
benemeritorum virorum, quos breui temporis
interuallo & Vniuersitas, & Regio hæc amisit,
portendere videtur, dolorem nostrum augere de-
bet, quem tanti præsidij & ornamenti huius Vni-
uersitatis amissio inflixit. Amissimus enim nuper-
rimè magnificum virum dominum GEORGIVM
SIGISMVNDVM SELDIYM I. V. Doctorem in-
signem, CAES. MAI. ab arcanis Consilij intimū.
Quid, quod non vnus Medicinæ Doctor, sed eius-
dem facultatis tres, & hoc, & priori anno obie-
rint: nimirum VVOLFGANGVS LAZIVS, cuius
funus coràm cernimus, MATTHIAS CORNAX,
& ANDREAS PLANCVS: Quemadmodum su-
perioribus annis FRANCISCVS EMERICVS vir
clarissimus, Doctoris LAZII antecessor, similiter
ELIAS ANHARDT, & LVDOVICVS KVNIG,
vt ità breui tempore sex Medicinæ Doctores in
hac saltem vrbe defuncti sint? Sed quia hi omnes
pio & placido exitu ac chara liberatione ex hac la-
boriosa vita, quæ nihil nisi miseriarum vallis est,
discesserunt, gratulari ipsis potius, quàm dolere
debemus, & rogare singuli DEVM aeternum pa-
trem Domini nostri IESV CHRISTI, vt hanc Vni-
uersitatem

uerſitatem celeberrimam & antiquiſſimam, quæ
 per multos annos, trecentos videlicet, viginti o-
 cto, ſedula fuit nutricula & doctrix plurimorum
 iam vtiliter Rebus pub. ſcholis, & Eccleſijs ſeruien-
 tium, diutius clementer cuſtodiat, regat, & con-
 ſeruet. Quam ad rem vt idonei Gubernatores &
 Doctores in loca defunctorum ſubſtituantur,
 haud dubiè curæ erit ſacraſſimo Romanorum
 Imperatori MAXIMILIANO, domino, domino
 noſtro clementiſſimo, cuius MAIEſTAS ſæpè
 iam euidentibus testimonijs declarauit, quod
 ſummo ſtudio hoc Archygymnaſium, in quo ar-
 tium bonarum, philoſophiæ, ſingularumq; Fa-
 cultatum profeſſores multi ſuſtentantur, ſua mu-
 nificentia fouere & conſeruare velit. Poſtremò à
 domino noſtro IEſu CHRISTO, redemptore
 totius mundi vnico, petamus, vt nos quoque ſi-
 mili tranquillitate conſcientiæ, ſimili conſtantia
 fidei, & confeſſionis veræ, ex hoc carcere ad æter-
 nam ſuam conſuetudinem traducat. DIXI.

EPI.

15
E P I T A P H I V M
V V O L F G A N G O
L A Z I O C A E S A R I S F E R D I -
N A N D I C O N S I L I A R I O E T H I -
storico, Medicinarum Doctore, Professori ac
Superintendenti dignissimo,

Scriptum à

Paulo Fabricio Cæsar. Mathem.
Medico Doctore.

LAZIVS à Latijs, Graijs, & Teutonis orbe
Cognitus, in patria est hic tumulatus humo.
Qui sæpe à sevis alios medicamine morbis
Restituit, vitæ se nequit ille sue.
Historiæ famam sed pluribus ille recondit
Vinaem, vivit cum quibus ille simul.

A L I V D.

B A R T H O L O M A I R E I S A -
C H E R I M E D I C I N A E D O C T O R I S ;
Rom. Cæs. Maiest. aulici Hospitalis Physici, &
Vniuersitatis Viennensis Mathematici.

SI Medicina queat seuæ vim pellere mortis,
Sine sit ingenij, siue sit artis opus :

Lazius

LAZIVS ingenij donis præclarus & arte,
 Vidisset vitæ secula multa suæ.
 Si pietas, si prisca fides, si candida virtus,
 Frangere Parcarum iura seuera queat:
 LAZIVS ecce pius, fidus, virtuteq; clarus,
 Rupisset Stygiæ iura seuera Deæ.
 Ast immortales qui multos fecerat olim,
 Nunc quoq; mortali sorte peremptus obijt.
 Ille iacet tumulo, sed adhuc hoc vivit in orbe,
 Funere non nomen, non bona fama perit.
 Hæc peperit scriptis, multo tulit ista labore,
 Dum solers tantam colligit historiam.
 Sedulus & Veterum quum sic monumenta revolvit,
 Prodit & in lucem quæ latuere prius.
 Hunc igitur nobis meritò lugemus ademptum,
 Qui fuit Austriacæ splendor, honorq; scholæ.

A D T V M V L V M
 D. D. LAZII IOAN.
 S A M B V C V S.

LAZIVS historica, Phœbea & laude perennis,
 PETRE tibi hic sacra contumulatur humo.
 Non solum patriæ studijs, & Apollinis arte
 Servivit, toti notior ille polo est.
 Et licet haud fuerit, te extra, Germania felix,
 Complexus tamen est cuncta labore memor.

Condi-

Condidit Austriadum res gestas, Græcia nuper
 Te quoq. perpolijt, Vindobonamq. suam.
 Romulidum est ausus mores ac bellica signa,
 Gentesq. ut migrent ille notare stylo.
 Caesaris Historicus FERDINANDI, consilijq.
 Conscijs, hanc præsēs rexit honore scholam.
 Eximij deflet meritò vrbs nunc funus alumni,
 Et queritur iacta tristis Apollo lyra.
 Non tamen exstinguet, quamuis obliuio sera
 Viuet, & æternum tot monumenta canent.
 Quin potius ridet, miratur & incola cæli,
 Hæc imis adeò posse placere locis.
 Nil Superis maius, nil purius, illa tuentur,
 Quos alit haud vani spes memoranda Dei.

E I V S D E M.

Λάξιϑ ἰντρὸς καὶ ἅμ' ἰσόεικϑ σοφὸς εἶδεν
 Πολλὰ, γράφων πλείω, πάγκαλα δὲ δέμαθεν.
 Τῶν συγίων ὑπὲρ αἰδύτων, δεινοῖς καμάτοισιν
 Εὐθὺ μαρτυρομένης σῶσεν αἰὲ φανέως.
 Γυμνασίᾳ πρὸς αἶσαν, μεγάλῃ βεληφόρῃ ὥτε
 Φερδινάνδῃ, τάφῃ δ' ἔγ' ὅσῃ σμικρὸς ἔχῃ.
 Ἡδυνεπῆς, καὶ ζωγραφίας ἔμπροσθεν ἀγανῶς,
 Θαῦμα πλεῖν κόσμῳ πάτερδ' ἡδὲ κλέῃ.
 Μνήμα-

Μνήματα καλὰ λιπῶν πᾶσιν, καρπέστε μεγίστας,
 Εσγομύροισι λίπεν σύμβολον ἀνδρείης.
 "Αξιὸν ἰὼ μακροῦς ζωῆς, ἀλλ' ἔχθρο ἀπέσθην
 Ἡμετέρων ἠδῶν τέτον, ἔτυχε πύλα.
 Οὐ χεὶρ τὰς ἐδλὺς κλαίειν, λαμπρῆς λαχόντας
 Αενάα τιμῆς, εἰς γ' ὀλυμπον ἔβαν.
 Παῖτες μιν τέτον τιμῶσιν σάφρονες ἄνδρες,
 "Ολυται ἐκῦδθ' μὴ' ὄνομ' αὐτ' ἐσάει.
 Ἐν κοιλτοῖς Αθραάμ κείται γλυκὺς ὕπνῳ ἔχστε,
 Χεῖρ' ἐτεῶς ζωῇ σάο δίδονθ' ἔχθ.
 Αλλοδαπαῖς ἔσμην γ' ἐ κόσμῳ παντολέθροιο,
 Οὐ φιλέει χεῖρσὸν γαῖα μέλαινα γόνον.

E I V S D E M.

HIC LAZIVS verum decus
 Situs Viennæ est maxumæ.
 Hoc mortuo silent lyraë,
 Præses Medelæ & Phœbus : at
 Scriptæ vigent perenniter
 Res Austriæ, tanti stylo
 Viri, domus quem cœlitum
 Fouent, alunt suauibus,
 Curet

Curet minus iam vt infera.
 Precare fausta tu ossibus
 Iungantur vt lætè suæ
 Animæ: resurgas sic quoque
 Lector, pius Diuûm choro.

IN OBITVM CLARISS. VIRI
 D. VVOLFGANGI LAZII,
 MEDICI ET HISTORICI CAE-
 sarei, &c. de Republica & bonis studijs
 optimè meriti.

LAZII s historię Princeps, Phœbiq; sacerdos
 Occidit, emerito soluite iusta seni.
 Soluite Cæsarea quotquot floretis in aula,
 Soluite pars Clarie summa vel ima scholæ.
 Hic vbi doctrinæ simul & virtutis alumnos
 Ausriadum semper protegit ala Ducum.
 Nam vestri pius ille senex studiosus honoris
 Sustinuit curas nocte, dieq; graues.
 Quid loquar innumeram, monumenta tot edita, gazam?
 Aequant quæ magnas laudibus Iliadas.
 Siue quibus patriæ, patriæ seu clara parentum,
 Seu noua, seu lucem fama vetusta tenet.
 Heu superant monumenta Viri: tamen optimus autor,
 Ille sub obscuro nunc iacet vmbra solo.

Præsidium iacet ab docti quàm grande Lycæi,
 Præsidium doctis, quàmq̃, fidele bonis.
 Experti dicent alij, grataq̃, patronum
 Voce, animoq̃, memor testis & ipse colam.
 Illum tot proceres miro coluere favore:
 Ante alios procerum fouit & ipse caput.
 Sydereus diuo FERDINANDVS pectore Cæsar
 Sceptra polo qui nunc nobiliora gerit.
 Cuius in exequias modò dona suprema parabat,
 Cæsar in laudes & noua multa noui.
 Fata vetant, superi dixit Rex altus olympi:
 Sat per te patriæ, Cæsaribusq̃, datum.
 Fessus es: accedant alij florentibus annis,
 Qui iam deinde nouo Cæsare digna canant.
 Illi Mæonides, illi sit Liuius alter:
 Tu comes emeriti Cæsaris emeritus.
 Dixit, & adiunctum regnis foelicis olympi
 Fernandi vultus pertulit ante pios.
 Hic LAZI nunc illa canis, quæ digna peregit
 Cæsar, & æternum testis es ante Deum.
 Ille tibi placidos effundit rursus amores,
 Et tecum dulci vescitur ambrosia.
 Nos tamen, orbatos tua quos tutela reliquit,
 Vrimur, heu nostra tu rate Typhis ubi es?
 Parce dolor: sunt, & venient, qui deinde carinam
 Tutentur forti, sustineantq̃, manu.

Interea

*Intere à has lachrymas, atq; hæc lugubria dona
Pro meritis LAZI fer venerande senex.*

IOANNES SECCERVITIUS

ALIVD EPICEDION
EIDEM A MAGISTRO CHRISTO-
phoro VVidmanno, Poëseos Professore ordi-
nario, gratitudinis ergo scriptum.

*SI mihi parua foret facundæ gratia lingue,
Quæ posset numero verba sonare graui,
Nunc mæstis canerem, LAZI, tua fata querelis,
Extremum soluens hoc pietatis opus.*

*LAZI præstantum decus immortale virorum,
Cuius Teutonico fama sub orbe viget.*

*Qui simul historie scriptor, Medicæq; peritus
Artis, ab hoc duplici nomine clarus eras.*

*Eloquioq; potens Regum memoranda notasti
Facta, vel Austriadum stemmata clara Ducum.*

*Multa vetustatis, pressi, monumenta, libelli,
Per te cœperunt luce nitere noua.*

*Per te Gymnasium cœpit clarescere laude,
Et meritum celebris nomen habere scholæ.*

*Ingenio magnus, pius, & sincerus in omnes,
Omnibus hac etiam parte colendus eras.*

*Scilicet ingenium tot scripta volumina produnt,
Historias veterum dum cænis, atq; nouas.*

*Sed mens prompta bonis, ac officiosa voluntas,
 Innumerus passim nota fuere viris.
 Ipse etiam testis grata te mente patronum,
 Dum subit è nostro spiritus ore, colam.
 At quia nostra tuas non æquant carmina laudes,
 Prudens de multis desino pauca loqui.
 Pro meritis posset tibi non nisi LAZIVS alter
 In laudes digno fundere verba stylo.
 Interea tua, care senex, notissima mundo
 Nomina, posteritas marmore sculpta leget.*

EPI T A P H I V M.

*LAZIVS hac PETRI sacrata conditur æde,
 Qui quantus fuerit, publica scripta docent.
 Cæsaris Historicus, Phæbea Doctor in arte,
 Extremum vixit clarus ad vsq. diem.
 Hoc schola nostra decus meritò iam luget ademptum,
 Hoc decus amissum nobilis aula dolet.
 Ille tamen dominum vitæ, & morte secutus,
 Fernando, in cælis, nunc quoq. carus, agit.
 Condita sub tumulis, placideq. sopita quiescunt
 Corpora, & assueto fessa labore carent.
 Donec postremæ veniat tuba nuncia lucis,
 Tum vita indutus surget pterq. nona.*

EPI-

E P I C E D I O N

IN OBITVM NOBILIS
ET MAGNIFICI VIRI, DOMINI
VVOLFGANGI LAZII, sacrae Cæs. Maiest. Con-
siliarij, Historici, & Medici, nec non peruetusti huius
celeberrimi Archigymnasij Viennensis Superinten-
dentis dignissimi, &c. è calamitoso hoc vitæ
ergastulo in CHRISTO clemen-
ter euocati.

PETRE fores aperi celsi reserator olympi,
Iamitor ô clausas sideris abde fores.
Cuius enim corpus pheretro miserabile molli
Cernimus impositum, LAZIVS ille fuit.
LAZIVS historie Princeps sub Cesare magno
FERDNANDO, quorum viuit uterq; DEO:
Heu lachrymosa dies, heu temporis aspera duri
Omina, portendunt quæ mala sepe bonis.
En tantum deflere virum Sapiaentia, tantum
En doctrina virum sepe vocare iubet.
Ut redeat virtus, repetita luce sub auras,
Et pietas fidei consociata monent.
Quid loquar, ut nostri laudata columna Lycei
Illum sub vitæ pristina iura vocent?
Quid? generosa senem quàm Cesaris aula, decusq;
Nobilis hoc sceptri sepe redire petat?

Aula

no 1

Aula dolet, Phœbusq; gemit, gemit aula, doletq;
 Pieridum lacrymas fundit & ordo suas.
 O' dignum longæua virum pertingere secla,
 Nestoris & seros enumerare dies:
 Hic Superattendens (quo non vigilantior alter)
 Hic nostræ fuerat gloriaprima scholæ.
 Qui potuit ius omne manu defendere fida,
 Ius tua quod spectat, Phœbe, theatra datum.
 Qui vacuata suis replendi æraria curis
 Musarum, semper sedulus autor erat.
 Est aliquid certè sublimia sceptrareferre
 Habsburgæ gentis, Cæsareiq; chori.
 Est quoq; non minimum viuaci cuncta colore
 Oppida in Austriacis edere posse locis.
 Grandia tu siquidem videas monumenta, sonoro
 Historicus poterat quæ perarare stylo:
 Euoluasq; libros, totus mirabere certè,
 Sub lucem cufos quos piè Cæsar habes.
 Scripta referta bonis gemmis dignissima cernes,
 Occurrent oculis qualiacunq; tuis.
 Sine Antenoridis turgentia flumina, siue
 Vatis eas quodilam per retonantis iter.
 Hæc igitur potuit præstare vir ille, supremi
 Quem legit impositum funeris urna capax.
 Qui Machaonia fuerat licet arte peritus,
 Inq; tuis cultus, doctæ Galene, libris:

Non

Non fugisse tamen volitantia spicula mortis,
 Nec poterat Parcae tela cauere fer.e.
 Sic quia natur.e sua munia reddere fas est,
 Reddere sic superis vitam, animamq. decet.
 Sic nobis omnem mors effera demit honorem,
 Et facit, vt tandem, qu.e viguêre, cadant.
 PETRE fores aperi celsi reſerator olympi,
 Saluus vt hic, & ouans LAZIVS astra petat.

E P I T A P H I V M.

Hoc iacet impositus tumulo, quem merſit acerba
 Morte dies, Medic.e LAZIVS artis honor.
 Caesaris Historicus generoſam aſcitus in aulam
 Conſilio noſtros inuit & arte Duces.
 Quo reſtoreſcens Superattendente Lyc.eum
 Aurea gaudebat tollere ad aſtra caput.
 Huius in exceſſum vit.e, ſœlicis olympi
 Gaudia leta precor, ſidereumq. thronum.

Andreas Charopus Au-
 ſtrius faciebat.

A L I V D E I V S D E M.

Κεῖται ὁ ἱππὸς πολλῶν ἀντάξι' ἄλλων,
 Λάξι' ἐν μέσαις εὐ' αἰ' φημομένη.
 Ἰχέερα ὧ αἶσα μὴ & φείδεα' αἰδῶ
 ἠδ' ἐκ κασιγνήτη ἤθελε δαυμονίων.

d

"ΑΜΘ

Ἄλγ' ἔθηκε μέγαν πᾶσ' ἀνθρώποις, θανάτοιο
 μῆνιν, ὃφ' ἦς εἰμὲν πάντες αἰέγε, θεός.
 Φεύγε ἐκείνο κακὸν καί περ πόδας ὤκως, ὃ ἄρ' ῥεν,
 'Εἰ δύνασται θανάτῳ Φεύγ' ὑπὸ, ἀλλὰ μὴ εἰ.
 Τένεκα καὶ ζόντων ἡμῶν ἔχειρας ἀφέξει,
 'Εστὶ γὰρ ἐν τῷ παῖτι, ἃ γαῖα ἔχει.
 'Οὐν διὰ μοῖραν ὁδὸς πρὸς Ὀλύμπια δώματ' αἰεὶ
 θνήσκοντες θεῶν πρὸς θεότητα ἄγ' ἔχ.
 'Αὐτόσε ἦλθε γέρον ὄγε Λάζι' αὐτόσε ἦλθε,
 πρὸς πατρὸς αἰδὶς Λάζιος ἦλθε ἔσθ' ἔχ.
 Σύμπνο' ἦν ὡδ' ἀφ' ἑρδ' ἀνδρῶν τῶν Καίσαρι σέπ' ἔχ,
 καὶ ὡδ' ἐγγένεσθ' μακρὰ βίενα, τειοῖς.
 Καίσαρ' ἰσοείαστε καὶ ἔργματα πολλὰ ἔγραψ' ἔχ,
 Σιωπῶν δ' ἡ, πολλῶν καὶ πονῶν, ἡδ' ἐπιδι.
 Πρὸς τοῖσι καὶ αἱ ἐργῶν μὲν ἑπίσκοπος ἦεν,
 τῶν σκηπτεῶν ἀγὼν ἡμέτερος κρατέει.
 Νῦν δ' ἐπεὶ ἀθανάτοισι θεοῖς, μέγαλ' ἐν Ὀλύμπῳ,
 καὶ χορῶν ἀγέλικῶν ζωὴ πάρα ἡδ' ἐπιδι.
 'Ενθάδε σὺ μακάρεσσιν ἰσθὲν πόλιν ὀλβίαν ὀκλεῖ,
 ἣν αὐτὸν δόσκει πρὸς ῥατρεπῶσι θεός.

Andreas Charopus Au-
 strius faciebat.

SEQVVN-

SEQVNTVR
P O S I T I O N E S
 ALIQVOT DISTINCTIS
 temporibus à DIOMEDE CORNARIO
 ad disputandum publicè propositæ, quarum prio-
 res ex Speculatiua: posteriores verò ex Actiua
 Medicinæ parte, iuxta Facultatis Medicæ Ar-
 chigymnasij Viennensis consuetu-
 dinem, transumptæ
 sunt.



d 2

PRAE-

PRÆSIDENTE CLARIS-
SIMO ET DOCTISSIMO VIRO D.
CASPARO PIRCHPACHIO, PHILOSOPH-
iæ ac Medicinæ Doctore, eiusdem artis
Professore ordinario,

DIOMEDES CORNARIUS
Quæstionem sequentem

*Cum thematibus annexis publicè disputan-
dam proponet.*

QVÆSTIO.

*V. Vigiliarum : an verò somni immoderan-
tia magis ledat ?*

POSITIO.

I.

Somnus est affectio primi sensorij, in qua
ligantur omnes sensus & motus, ita ut organa
eorum à functionibus suis cessent.

II.

Fit enim in somno reductus spirituum, & caloris na-
turalis ad partes internas, qui contrà per vigiliis se ex-
erunt, & ad partes externas extendunt.

III.

Quare & Hippocrates somni vim explicans ait: τὸ
αἴμα

αἷμα ἐν ὕπνῳ εἶσω μᾶλλον φεύγει, hoc est, sanguis in somno
intrò magis fugit.

I I I I.

Accersitur autem somnus, quando viles vapores ex
alimento in somno sursum feruntur, inque cerebrum
exhalant, qui à cerebri frigiditate in humores coacti
ac liquefcentes, suauiterque defluentes, sensuum &
neruorum meatus obstruunt.

V.

Idcirco quando per somnum, animalium spiri-
tuum à sensus & motus instrumentis ad principium
suum fit regressus, tunc in eo regressu facultatem ani-
malem quiescere necesse est, & Galeno, & Paulo Aegi-
neta attestantibus.

V I.

Et hinc sanè somni causam esse primum sensorium,
ipsum nimirum cerebrum, manifestum est, licet Aristo-
teles cor πρώτων αἰσθητικόν, id est, primum sensorium,
idemque somni causam esse asserat.

V I I.

Nam cerebro per vaporum delationem occupato,
ad membra mitti facultas sensitiua cessat, & animal sta-
tim dormire cogitur.

V I I I.

Indè consentaneum est, omnes cibos humectan-
tes, vini quoque moderatam potionem, somnum con-
ciliare.

I X.

Quemadmodum & ex ætatibus pueri ob nativæ humiditatis abundantiam somno: Senes verò ob ariditatem vigilijs potius dediti sunt.

X.

Circa somni autem rationem considerandum est, quantus, & quàm longus unicuique corpori conveniat. Longior ergo somnus illis, qui perfectam concoctionem nondum fecerunt, convenit, siue istud ex mali cibi esu, siue virtutis alteratricis debilitate contingat.

X I.

At verò quia somnus virtutem animalem laxat, ieiunij & famem tolerantibus minimè convenit. Repletur enim inde caput fumis ac euaporationibus eleuatis à fecibus & superfluitatibus in stomacho contentis.

X I I.

Contrà verò vigiliæ nimix cerebri *Expositiones* corrumpunt, sensus debilitant, humores adurunt, & dissolando corpus, illud exiccant, cibisque crudus ac incoctus propter harum immoderantiam relinquuntur.

X I I I.

Videndum est ergo cuique, ut pro hac ratione iustum, & sibi congruum modum seruet, ne vel superflui humores nimium augeantur, aut etiam commodi nimis resiccentur, Hippocratica sententia diligenter observata

seruata, qua pronunciat: Somnum & vigiliam, vtraque
modum excedentia malum.

XIIII.

Consentiunt autem ferè omnes Medici, somni iustam longitudinem esse tempus septem horarum noctu. Nam in die dormire nemo probauit, propter destillationes à capite, coloris corruptionem, splenis aggrauationem, neruorum laxitatem, prostratum appetitum, & similia mala, quæ meridianum somnū consequi solent.

XV.

Et licet Hippocrates meridianum somnum quoque damnet, inquit: Quod ad somnos attinet, quemadmodum secundum naturam consuetum nobis est, interdiu vigilare oportet, noctu dormire. Si verò hoc transmutatum fuerit, peius est: Tamen concedendus & hic videtur his præsertim, qui noctu vigilarunt, aut noctem insomnem duxerunt. Similiter his, qui sunt aduersi duabus ab accepto cibo horis, aut coctione omnino aliquatenus peracta, dormire. Semper enim consuetudini aliquid est dandum, iuxta illud Hippocratis: Ex multo tempore consueta, etsi fuerint deteriora, minus tamen, quàm inconsueta nocere consueuerunt.

XVI.

Quum itaque vigiliarum immodicarum causa sit calefactio & exiccatio primi sensorij ipsius cerebri: Somni verò nimij, refrigeratio & humectatio eiusdem cerebri, præterea quum calefactio sit refrigeratione efficacior, ut habetur ex physicis, & siccitas in resistendo primas quoque partes sibi vendicet:

S

ecundò

XVII.

Secundò, quia per somnum ipsum primum sensorium minus à naturali temperamento recedit, quàm per vigilias. Est enim cerebrum sua natura frigidum & humidum:

XVIII.

Accedit & tertia causa, quòd compertum sit, ex somno triduoano factam esse morbi solutionem.

CONCLUSIO.

XIX.

Proindè immoderantiam ex vigilijs deteriozem & periculosiorem esse ipsius somni excessu, pro rato habendum, citra omnem contradictionem asserimus.

*Disputata sunt die XIIII. Septemb. in Auditorio Medicorum hora deputata Anno rñs. Inoyovias.
M. D. L. XV. Vienna Austria.*



P R A E S I.

D. F. C.

PRÆSIDENTE CLA-
 RISS. ET DOCTISS. VIRO D.
 IOANNE AICHOLTZ, Philosophiæ ac Me-
 dicinæ Doctore, eiusdemque artis Professore Or-
 dinario, DIOMEDES CORNARIUS Zuiccaui-
 ensis Medicinæ Baccalaureus, quæstionem
 sequentem cum positionibus adie-
 ctis publicè disputandam
 proponet.

Q V Æ S T I O

*V. ieiuno ventriculo existente, an verò
 post cibum sumptum medicamenta pur-
 gantia exhibenda sint?*

P O S I T I O N E S.

I.

Ventriculi officium proprium est alterare, seu
 conuertere cibum & potum in chylum, quæ al-
 teratio concoctio dicitur.

II.

Quando autem ventriculus præter naturam affi-
 citur,

c

citur,

citur, hæc necessario læditur, idque tribus modis contingit.

I II.

Aut enim per abolitionem, quando videlicet cibi ingesti non permutantur, & dicitur cruditas:

I III.

Aut per diminutionem, quando imperfectè mutantur, quæ debilis seu diminuta concoctio dicitur:

V.

Aut per depravationem, quando cibi corrumpuntur, & in alienam qualitatem permutantur.

VI.

Causæ lædentes concoctionem in ventriculo sunt duplices: externæ, & internæ.

VII.

Externæ sunt, sicut affectus animi, ut est ira, tristitia, item immoderata ciborum ac potuum ingestio obruens calorem naturalem ventriculi, vel eorundem vitiosa qualitas, vel assumptio intempestiva.

VIII.

Internæ sunt, quando ventriculus vel per essentiam, vel per consensum siue communicationem afficitur.

IX.

Per essentiam, quando laborat intemperie aliqua, vel morbo instrumentali, vel solutione continui.

Per

Per consensum aut à toto, vt in cacochymia, plenitudine: aut à membris particularibus, sicut à cerebro, hepate, splene, & alijs.

Quum itaque ventriculi virtus concoctrix aliquo relatorum modorum affecta fuerit, medicamentis corrigenda est, quæ siue alterantia, siue per aluum purgantia fuerint, ieiuno potius ventriculo, quàm ab assumpto cibo administrare præstat, ne videlicet, vt Hippocrates monet, cum cibis permisceantur.

Nam quum diuersæ sint actiones cibi, & pharmaci, impeditur actio naturæ cibum concoquentis à pharmaco, quod viciosos humores eò attrahit, & educit.

Offerenda autem sunt medicamenta deorsum purgantia per quatuor, aut quinque horas ante cibum, prout vires ægroti fuerint fortiores.

Vomitoria verò seu sursum educentia medicamenta à cibo dari magis consentaneum est.

Somnus etiam modicus post adsumptum pharmacum per aluum purgans non est prohibendus, maxime si purgandus non admodum robustus sit.

XVI.

Rectè denique post adsumpta pharmaca, iuscula
absterforia dari possunt, ceu sunt hordei, aut cicerum
forbitio, & similia.

CONCLVSIO.

Purgationes ergo infernas per aluum, ex Hippo-
cratis autoritate, rectius matutino, quàm vespertino
tempore fieri posse concludimus.

*Disputata sunt die Veneris, qua erat IX. Ianuarij, in Medico-
rum auditorio, Vienna anno r̄ Isoroyias M.D.LXVIII.*



ORATIO

37
O R A T I O

H A B I T A V I E N N Æ

P V B L I C E I N A E D E D I V I S T E -

phani, per clarissimum virum Do-

minum Doctorem

BENIAMIN LÖBSCHVITZ,

quum

DIOMEDI CORNARIO

Medicinæ Licentiatò insignia Do-

ctoralia in Medicina conferret, die

vigesima tertia, mensis

Martij.

anno Domini

M. D. L X V I I I.



Tsi (magnifice domine Rector,
reuerendissime domine Cancellarie,
magnifice domine Superintendens Cē-
saree, magnifici, nobiles, atque clarissimi viri,
auditores & spectatores iucundissimi) minimè
dubito, serè omnibus, aut saltem maiori parti sa-

e 3

tis

tis notam esse originem & propagationem horum publicorum actuum, de illis rectè & honestè sentire, & ob quas causas instituti, & in hunc vsque diem conseruati fuerint, & meritò seruari debeant, intelligere & apud animum suum diligenter considerare: Tamen quum omnibus temporibus inuenti fuerint, & inueniantur, qui quæuis rectè dicta & facta, calumniari, superbè deridere, aut saltem leuius de illis sentire soleant, non defuerunt, neque defunt, quibus hi publici congressus & ceremoniæ pueriles, & quasi scenici, aut theatriçi videantur, quum primam originem ignorent, neque illos propter magnas & grauissimas causas ab Imperatoribus Romanis institutos, & in hunc vsque diem conseruatos fuisse intelligant. Itaque in gratiam iuuentutis, & aliorum, quibus hæc nondum satis cognita & perspecta sunt, aliquid de his in medium proferendum esse duxi, vt & illi sciant, quid de huiusmodi publicis actibus sentire debeant, & ob quas causas potissimum seruentur, ac minùs rectè de his sentientibus commodè respondere, & ipsorum errores refutare possint. Licet autem & ab alijs eadem decantata fuerint, tamen quum hæc, & similia nisi subindè repetantur, facilè ex animis quorundam excidant, complures etiam subindè accedant,

dant, quibus hæc nondum innotuerunt, illorum quoque rationem habendam putaui, & spero reliquos, quibus hæc antea satis cognita sunt, vel in illorum gratiam hanc qualemcunque repetitionem æquo animo laturus.

Primum itaque de origine, & causis horum publicorum actuum quædam dicam. Mox de dignitate, & utilitate Medicæ artis paucissima subijciam, & tandem præsentī Medicinæ Licentiato insignia Doctoralia in saluberrima Medicina iuxta antiquam & laudabilem consuetudinem conferam.

Historiæ testantur ante tempora Augusti Cæsaris, cuius liberum fuisse artem quæmcunq; in qua sese aliquos progressus fecisse sperasset, publicè exercere, docendo, disputando, & practicando, non expectata Licentia Principum, aut Collegiorum. Vnde factum, ut complures indoctissimi & imperitissimi artium simulatores, ex mera audacia & temeritate causarum patrocinia susciperent, & Medicinam publicè exercerent, cum maximo miserrimæ plebis damno & interitu. Quod ubi compertum fuit, Imperator Augustus huic malo in tempore succurrendum esse statuit, atque ideo legem tulit, ne quis in posterum in Imperio Romano publicè doceret, neque respon-

mund

responderet, neque agrorum curam susciperet, nisi à Cæsare, aut illis, quibus hoc negotium Cæsar demandauerat, Licentiam impetrasset. Quæ quidem Lex ab omnibus deinceps sequentibus Imperatoribus Romanis approbata, & confirmata fuit, ac religiosè obseruata, vsque ad infelicissima illa tempora, quibus barbari homines: Sarraceni, Arabe Mahomete duce, per Syriam, Græciam, ac Constantinopolitanam regionem, & vniuersam ferè Asiam: Gothi verò, Hunni & Vandali per Italiam, omnemque adeo Europam ferro & igne omnia vastauerunt, ac præter ceteras calamitates, omnes Academias & scholas euerterunt, plerosque optimorum Autorum, Græcos & Latinos libros combusserunt, ac prorsus perdiderunt, meram barbariem introduxerunt, ac liberalium artium vix vmbra reliquerunt. Tunc magna rursus impostoribus ad nequitias suas fenestra aperta fuit, vt complures etiam illas, quas nondum à primo limine rectè salutassent, artes, profiteri, & publicè exercere audent, & plurimos fortunæ ac corporis bonis impunè priuare. Atq; hæc miseranda calamitas durauit vsque ad tempora LOTHARII Ducis Saxonie, qui primus è Germaniæ Principibus in Imperatorem Romanum electus, & coronatus fuit. Hic quum

quum intelligeret, nullam Rempublicam bene
constitui, neque constitutam, rectè ac feliciter
gubernari posse absque Philosophis, innumerabi-
les scholas triuiales in omnibus sacri Romani Im-
perij prouincijs aperire iussit, vt iuuentus ab ipsis
incunabulis, prima artium rudimenta, quasi cum
lacte imbiberet. Academiarum quoque funda-
tiones sedulo adiuuit, plurima illis concedens pri-
uilegia, libertates, & immunitates, nec acquie-
uit, donec ex diuersis & remotissimis locis, in
omni genere disciplinarum clarissimi atq; doctis-
simi quique viri conuocarentur, vt omnes inge-
nuas artes publicè profiterentur & docerent. Atq;
icà consilio & opera prædicti Imperatoris, Medi-
cina vnâ cum Iurisprudencia, & alijs bonis artibus
è densissimis & profundissimis tenebris in claris-
simam lucem reuocata fuit, quòue maior illis ac-
cederet autoritas, priscam Augusti Cæsaris legem
renouauit, ac seriò inhibuit, ne quis in poste-
rum in Imperio Romano, artes illas publicè pro-
fiteretur, neque practicando exerceret, nisi Li-
centiam ex aula Imperatoria impetrasset. Quum
autem plurimos ab aula sua longissimè abesse
non ignoraret, ne quis longa & difficillima itine-
ra, maximas quoque impensas & sumptus præ-
tenderet, Academijs hanc concessit & tribuit po-
testatem,

testatē, ut nomine & autoritate suæ Maiestatis, eos qui per longum tempus alicui arti bonam & diligentem operam nauassent, eamque publicè exercere vellent, diligentissimè examinarent, & si eos satis dignos in arte progressus fecisse deprehenderent, vita quoq; & mores eorum satis ipsis placerent, Licentiam & potestatem illis darent, artem illam publicè exercendi, docendo, disputando, consultando, & practicando, in omnibus sacri Romani Imperij locis. Quam **LOTHARII** ordinationem & constitutionem omnes deinceps sequentes Imperatores Romani approbauerunt, & confirmauerunt. Atque ita Doctores singulorum Facultatum, non ex proprio, aut priuato motu, Doctorales dignitates alijs conferunt, sed autoritate publica, à summis Principibus & Imperatoribus Romanis sibi concessa & concredita. Adduntur autem certæ quædam ceremoniæ & insignia, ut vocant, Doctoralia, propter maiorem solemnitatem, quæ tamen suas quoque habent significationes, uti sæpius dictum est, & paulò post paucis dicetur.

*Actum pu-
blicorum
causæ.*

Hi autem publici actus propter multas & varias causas instituti fuerunt, & in hunc usq; diem conseruati, & ad omnem posteritatem propagari debent. Quarum prima est, ut omnes sciant, magnum

magnum piaculum esse, tanta sacra illotis quasi manibus à prophanis attrectari, aut tales artes aliquem publicè profiteri & exercere velle, antequàm ab inclyta Facultate diligenter examinatus, & approbatus fuerit. Quiuis enim scire & statuere debet, opus esse multarum rerum cognitione, magna prudentia, & summa artis peritia illis, qui cum laude, vtilitate Reipublicæ, citra conscientie læsionem, artem aliquam publicè profiteri & exercere volunt, atque ideò cuius à docendo & practicando tamdiu abstinendum, donec illa omnia consequutus fuerit. Vbi autem sese hæc adeptum sperat, iudicio & examini inclytæ Facultatis (cui, vti dictum est, Imperatores Romani hoc munus commiserunt & crediderunt) sese submittat, & ab eadem petat, & expectet Licentiam & potestatem, artem illam publicè exercendi. Tunc enim cum maiori fiducia, feliciori successu, & bona conscientia, hoc facere poterunt.

Altera causa est, quia illorum, qui sedent ad gubernaculum Reipublicæ, permagni interest scire, quorum ingenia & profectus probent illi, quibus doctrinarum inspectio & gubernatio commissa est, vt Imperatorum decretis satisfacere, & subditos fidei suæ commissos aduersus impostorum astutias & malitiam tueri possint. Ideò

hi actus in loco publico, eoquē celeberrimo semper seruantur, & seruari debent, vt omnibus innotescat, præsentem Candidatum tantos in arte sua progressus fecisse, vt inclyta Facultas illum propter eximias ingenij dotes, præclaram eruditionem, artis peritiā, vitæ deniq; & morum integritatem dignum iudicauerit, cui hic honos & insignia Doctoralia publicè conferantur, eiq; concedatur potestas & autoritas artem illam in posterū publicè exercendi, ac ab omnibus hominibus pro Doctore, qui habet ius, & publicā auctoritatē docēdi & practicandi, agnoscatur, debito honore adficiatur, & cōtra Circūforaneos Medicos defēdatur.

Quæ si homines nostri temporis considerent, & vt æquū ac necessarium est, apud animum suum diligenter perpenderent, nunquam profectò tot Empiricos & Impostores haberemus. Videmus enim omnes ferè angulos repletos esse huiusmodi artis simulatoribus & fumiuentis, qui fallacia experimenta tanquam certa auxilia sub pignore capitis proclamant, vel etiam pro rostris in populum edicunt, vitam pollicentes, mortem vendentes, & vt Plinius dicit (de istis enim indoctis & imperitis Medicastris Plinius locutus est) homines necantes, per mortes hominum experimenta facientes, idq; (Magistratū aut conuiente,
aut

aut dissimulante) omninò impunè, quoniam Bar-
 bitonfores, Balneatores rudes, Pharmacopolæ, &
 Distillatores imperiti, Monachi apostatæ, Sacer-
 dotes indocti, Mulieres impudentes, Agyrtæ au-
 daces & fraudulentæ, ac multi *αἰαλφαῖτοι* homi-
 nes passim Medicinam faciunt & publicè exer-
 cent cum magna miserrimæ plebis, imò etiam
 maximorum virorum, nimis facilè deceptoribus
 credentium, internecione, quemadmodum quo-
 tidiana experientia heu nimium attestatur. Com-
 plures quidem cum maximo suo periculo & dam-
 no subindè experiuntur, Empiricos nunquam tu-
 tò, nūquam perfectè sanare, sed vt plurimùm post
 ipsorum curam mala relinqui symptomata, aut
 inanes tantummodò ab illis paleas prætendi, ità
 vt paulò post longè maiora & periculosiora mala
 sequantur. Veruntamen nemo est, qui huiusmo-
 di Reipub. pestes fugere studeat, aut à sua iurisdic-
 tione illas quàm longissimè propellere conetur.
 Dolendum profectò est, in artibus longè viliori-
 bus, Mechanicis videlicet, legibus sancitum & usu
 confirmatum esse, atque in hodiernum vsque di-
 em ubiq; locorum obseruatum, & diligentissimè
 obseruari, ne quis profiteatur, nisi testimonium
 Præceptoris, aut Magistri sui habeat, & exhibitis
 quibusdam documentis à Collegio suo explora-
 tus,

tus, & admissus sit: In artibus verò longè præstantioribus, & in saluberrima Medicina, non modò à priuatis, sed ab ipso Magistratu, leges Academicarum, & Facultatum, optimorum deniq; Principum constitutiones adeò temerè negligi & contemni, quùm tamen satis constet, non lateres, lutum, ligna, lapides, tegulas, coria, artis Medicinalis, vt Mechanicarum, materiam esse, in quibus experiri & exercitari multis modis impunè licet illi, qui se circa materiam exercet, & artis theoremata meditatatur, id quod in lignis Carpentarij, in corijs Coriarij faciunt. Ligna siquidem & corium, malè tractantem corrumpere, nullũ periculum est: At in corpore humano illa experiri, quæ experientia nondũ sunt comprobata, aut idiotas, artis principia, & vim medicamentorum ignorantes, sine vlla ratione probare, & temerè experiri velle ea, quæ ipsi artifices secundum rationem inuenerunt, & dextrè exhibuerunt, non est profectò citra periculum, quum mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. Illud enim quiuis sibi persuasissimum habeat, & quouis oraculo verius esse statuatur, nullum omninò medicamentum, quantumuis preciosum, longo etiam vsu comprobatum, summa denique diligentia compositum, & præparatum, in corpore humano

mano aliquid præclari agere posse, nisi nactum sit, qui eo dextrè vtatur. Impossibile autem est, pharmaco aliquo rectè vti posse eum, qui vim ipsius ignorat, iuxta cuius efficaciam auxiliatur, nec quibus affectibus, ætatibus, temperaturis, & constitutionibus conueniat, aut non conueniat, quo pacto denique iuxta circumstantiarum multiplicem diuersitatem variare oporteat, discernere & dijudicare potest. Quod quum ità sit, in quem obsecrò vsum Germanici de Medicina libelli in vsum sunt editi? Medici enim omnes Autores in sua lingua habent & legunt. Discentes ex ipsis fontibus, quàm ex huiusmodi centonibus, & turbidis riuulis, artem haurire præstat. Idiotæ verò, in quorum gratiam præcipuè conscripti videntur, quid commodi quæso existis libellis habere possint? quum artis principia, vim, & vsum medicamentorum ignorent, atque ideò illis dextrè vti nullo modo possint, sed dum mederi volunt, talia committunt errata, quæ ab ipsis Artificibus difficillimè, aut nullo modo emendari possunt. Vndè mihi videtur huiusmodi libellos ad nihil aliud facere, quàm ad diuinæ artis Medicæ prophanationem, & compluribus errandi & peccandi occasionem præbere, tantumque efficere, vt vulgus Medicinam non esse artem, omnesque qui
vtcun-

ut cunque legere sciunt, morbis mederi posse, putet, & qui audeat profiteri, pro Medico habeatur, ideò Medicorum nunc infinitus est numerus, & quiuis ex alterius cute, lata lora, ut dicitur, auferre conatur, non sine magno Reip. incommodo & damno. Itaque Idiotis Medicina nullo modo communicari debet, sed tantummodò ad artem destinatis, sicuti Hippocrates rectissimè docet, & rationi prorsus consentaneum est, quum Idiotis medicinalia communicare, nihil aliud sit, quàm furioso gladium tradere. Et si enim, exempli gratia, legunt: castoreum valere aduersus spasmus, & singultum: Non tamen sciunt aduersus quam specie, atq; ideò eo rectè uti non possunt. Si enim ex siccitate, aut immodica euacuatione, aut acrim humorum mordicatione, spasmus, aut singultus oriantur, castorei vsum tanquam infestissimum fugere oportet, sicuti Aegineta lib. 3. c. 19. rectissimè docet. Eodem modo, licet legant, & audiant, saluiam, hyssopum, enulam campanam, radicem ireos, & similia, catarrho & tussi mederi: non tamen sciunt cui speciei. Atq; ideò scerpissimè videmus in catarrho & tussi calida, cum materia subtili, acri & salsa, huiusmodi sine vlla consideratione, cum maximo periculo & damno exhiberi. Sed esto, Idiotas, si Dijs placet,
hæc

hæc etiam assequi posse, tempus tamen exhibitionis ignorant, à quo magnus curationis successus dependet, vt præter Medicos Poëta quoq; his verbis testatur:

„ *Temporibus Medicina valet, data tempore profunt,*

„ *Et data non apto tempore vina nocent.*

Si autem vinum, & alia nutrimenta naturæ familiaria intempestiuè data nocent, quantò magis medicamenta corporibus contraria, non debito tempore exhibita, noxā inferre possunt. Omitto nunc complures alias circumstantias, quas Medicos in applicandis & exhibendis remedijs obseruare & considerare oportet. Idiotæ verò illas nullo modo obseruare & discernere possunt, vnde longè præstaret, illos aliquid aliud agere, quàm tanta sacra illotis manibus attrectare. Sed de his nunc vberius dicendi locus non est. Hæc tantum ideò referre volui, vt quiuis cogitet, quib. & quantis instructum esse oporteat illum, qui cum laude, vtilitate proximi, & bona conscientia huiusmodi artes publicè vult exercere, atq; ideò ab vsu illius omnes abstineant, donec illa assueti fuerint. Deindè vt Magistratus consideret sui muneris esse, videre & scire quomodò subditi sui tractentur, & curentur. DEVS enim illum ideò alijs præfecit, vt sapientia & prudentia alijs præesset, &

de ipsorum salute non minùs, quàm de sua ipsius vita & incolumitate sollicitus esset. Ideò diligenter præcauere debet, ne ab impostoribus circumueniantur & lædantur, & tales Reip. pestes à suis ditio- nib. longissimè propellere, & operam dare, vt habeat viros bonos, & ab illis, quibus doctrinarũ inspectio & gubernatio commissã est, approbatos. De his, & alijs grauissimis rebus hi publici congressus nos commonefaciunt, & admonent.

3. Tertia causa est gratiarum actio, vt in huiusmodi publicis congressib. Deo Opt. Max. toto pectore gratias agamus pro artium patefactione, restitutione, & propagatione, eundemq; ardentissimis votis rogemus, vt & in posterum illas conseruare, & ad omnem posteritatem propagare dignetur, ad laudem & gloriam sui nominis, & Ecclesiæ atque Reip. vtilitatem. Licet autem talis gratiarũ actio & precatio quotidie priuatim fieri possit & debeat: Tamen in huiusmodi cœtu & congregatione præcipue fieri debet, quum vota coniuncta, efficaciora esse nemo ignoret.

4. Quarta & vltima causa est, vt huiusmodi honorificæ testimoniorum renunciationes, & solennis pompa, animos iuuentutis excitet & commoueat ad amanda & amplectenda bonarum artium studia, quum iuxta Ciceronẽ, honos alar artes. Atque
cadem

eadem etiam de causa, in huiusmodi promotionibus semper aliquid de artium origine, dignitate, utilitate, iucunditate, & necessitate, aut saltem de præcipua aliqua artis parte dicitur, ut ista omnia studiosæ iuuentuti innotescant, & calcar ad discendum addant, atq; accendatur cupiditas discendi, artium dignitate & pulchritudine cognita.

Quam quidem consuetudinem & ego nunc sequerer, nisi temporis angustia impediret. Itaq; tantummodò vno atq; altero verbo dignitatē & utilitatem Medicæ artis attingam. Quanta verò huius artis sit præstantia, vel hinc aliquo modo colligi potest, quod omnes semper omnium temporum homines unanimi quasi consensu confessi sunt, Medicina humana industria, aut sapientia non esse inuentā, sed ab ipsis Dijs miseris mortalibus patefactā & traditam. Ethnici quidē, quum verū DEVM ignorarent, commentitios suos Deos, aut filios Deorum, aut eos qui illis proximi fuissent, primos huius artis Autores constituerūt: Christiani verò ex sacris literis didicerunt, verum & æternum DEVM Medicam artem nobis patefecisse ac tradidisse, propter summam necessitatē, multas ac varias utilitates, ne videlicet morbi, dolores, & perpetui cruciatus necessarias in vita actiones impediret, & mors protinus obreperet. Atq; ideo statim post lapsū primorū

parentum, ipsis Patriarchis & primis patrib. plantarum & aliarum rerum facultates & vires ostendit, illosq; sanandi dono ornauit. Abraham enim, Isaac, Iacob, Esaias, & similes viri, professione Medici fuerunt, estq; per hos viros, vnâ cum doctrina veræ religionis, etiam propagata doctrina physica, de plantis, & multis naturæ partibus. Populo quoq; Israëlítico in duodecim tribus diuiso, Leuitis & sacerdotibus vnâ cum cultu diuino, & vera verbi Dei doctrina, sanandi quoq; munus demandatum fuit. Per populum Iudaicum, reliquæ deinceps gentes huius saluberrimæ artis participes factæ sunt, sicuti aliâs de hac re satis dictum fuit, nec opus est, vt à me repetatur. Illud autem diligenter considerandum & perpendendum, Medicinam nobis multas & maximas vtilitates adferre, & delectationē non exiguam præbere, felicitatisq; humanæ haud minimam partem complecti, quum plurimi naturales effectus, vnâ cum ipsorū, à quibus originem ducunt, causis, in ea tradantur. Quoniam nobis nō modò pleraq; proponit, quæ omnium rerū parens natura ex elementis genuit, quæq; vita, sensu, & motu prædita sunt, verum etiam cuiusq; proprietates & virtutes exponit. Causas quoq; generationis & corruptionis nostrorum corporum, quantum humana industria

&

& sapientia assequi potest, satis perspicuè nobis ob oculos ponit. Admirabilem insuper humani corporis structuram eo docet artificio fabricatam, ut nulla eius pars, tam intus, quàm foris, vel minima extet, quæ usus suos, peculiareq; functiones non haberet: Deniq; ostendit viam & rationem, qua sanitatem à natura nobis tributam conseruare, eandemq; casu aliquo deperditâ recuperare possimus.

Quum autem inter omnes, quantumvis eximias, innumeras & immensas dotes, quas DEVS Opt. Max. humano generi dedit, nulla sit magis utilis, magis iucunda, magisq; necessaria, ipsa sanitas, utpote sine qua neq; fortunæ, neq; corporis, neq; animi bona rectè gubernari possunt, neq; illæ, ad quas præcipuè creati & conditi sumus, actiones exerceri: Medicina verò, ut dictum est, ad eius conseruationem, & restitutionem permultum facit, & apprimè necessaria est, siquidem infensissimos humani generis hostes, morbos, & aduersam valetudinè propulsat, vitam incolumem ab omni ærumna & languore liberam quàm diutissimè tuetur. Quis igitur utilitates, necessitatem, & dignitatem huius nobilissimæ atque saluberrimæ artis enumerabit & ostendet? Quis illam satis admirari, prædicare & laudare poterit? Quis

illam omnium artium præstantissimam esse dubitabit, quum absq; corporis incolumitate reliquæ artes neq; addisci, nedum exerceri possint? Quis deniq; illam ante omnia amandam, cognoscendam, & summis honoribus adficiendam negabit?

*Turamentum
Licentiatii.*

^{sup} Sed tempus postulat, ut me ad ea, quæ huius actus magis propria sunt, conuertā, & insignia doctoralia in sacra Medicina, ab inclyta nostra Facultate huic Medicinæ Licentiatō decreta, conferam. Quod quidē nunc faciam, ubi consueto præstito iuramento ad me in hanc cathedram ascenderit.

Præsens hic noster Candidatus, omnia iam dicta, & similia apud animum suū considerans, ad imitationem Heraclidarum, patris potius vestigia & exemplum, quàm aliorum, sequi maluit, & Medicinæ noctes atq; dies, à prima statim ætate operam dedit, omnemq; mouit lapidem, quo patri suo æqualis, aut certè illo nō multò inferior fieret. Pater enim ipsius IANVS CORNARIVS Zuiccatiēsis (piæ memoriæ) philosophiæ & Med. Doctor fuit, & compluribus notissimum est, illum de arte Medica optimè meritum fuisse. Nam per aliquot annos Græca Hippocratis scripta, nec non Aristotelis physica summa diligentia, cum magno auditorum fructu publicè enarrauit & docuit in Academia

nulli

ε 3

demia

demia ROSTOCHIENSI, & GENENSI, similiter etiam in Academia MARPVRGENSI. Magna quoque cum laude, & felici successu Medicinam fecit apud Ducem Megalopyrgensem, NORTHVSII, Francofurti ad Moenum, & Zuiccauij, quumq; græcè & latinè egregiè doctus esset, in gratiam & vtilitatem studiosæ iuuentutis, complura scripta græca in latinam linguam, magna felicitate & dexteritate transtulit, nimirum opera Hippocratis, Galeni plus quàm triginta libros, Paulum Æginetam, Aëtium, Dioscoridem, Marcellum Medicum, Artemidorum, Parthenium, Constantinum Cæsarem, Platonem, aliquot libros Plutarchi & Xenophontis, &c. vt interim taceam de alijs libris ab ipso in lucem editis: vt est Basilius, Epiphanius, Theodoretus. Hic cum ingenium & naturam filij sui DIOMEDIS probè cognitam & perspectam haberet, Autor ipsi fuit, vt animum suum ad Medicinam applicaret, & vt simul cum liberalium artium rudimentis, Medicinæ quoq; principia degustaret, paruum Medicinæ compendium, cui titulus: MEDICINA siue MEDICVS: in eius gratiam conscripsit, quod postea etiam in lucem editum est. Hoc consilium patris præsens noster Candidatus diligenter secutus fuit, cumq; in triuiali Schola Mar-

Marpurgensi, & Zuiccauiensi prima philosophiæ fundamenta iecisset, in Academiam GENENSEM à patre suo missus est, atque ibidem per biennium Medicinæ studium cum philosophiæ studio coniunxit. Mox in hoc Viennense Archigymnasium sese contulit, & Medicas lectiones per sesquiannum frequentauit, hinc VVittebergam profectus, & ibidem Medicinæ per biennium operam dedit, deindè rursus huc redijt, & per triennium Medicinæ studium continuauit, tandem Tirnauiam, Vngariæ ciuitatem profectus est, & per biennium ibidem Medicinam fecit. Superioribus verò mensibus ideò huc redijt, vt rigorofo (vt vocant) examini, & acriori iudicio inclytæ nostræ Facultatis sese submitteret, & ab eadem peteret, & acciperet potestatem & auctoritatem, Medicinam publicè exercendi docendo & practicando, quæ singularem eius eruditionem, artis peritiam, vitam & mores vnanimi omnium Doëtorum consensu approbauit, eumq; satis dignum iudicauit, cui insignia doëtoralia in sacra Medicina conferrentur, quæ tibi pro ea, qua nunc fungor, auctoritate iam confero.

Primum itaq; secundum receptissimam consuetudinem, te in hanc cathedram colloco, vt
cathedra. scias tibi nunc dari facultatem & potestatem cathedre.

thedras Magistrorum conscendendi, & in arte Medica publicè docendi, disputandi, repetendi & practicandi. Deindè vt memineris, te non temerè cuiusuis vanam & erroneam opinionem amplecti aut sequi debere, sed adhærere sententijs illorum, qui Cathedris præfuerunt, quorumq; dogmata cum ratione, & veris philosophiæ & Medicinæ fontibus concordant, veraq; ac diuturna experientia comprobata sunt.

Secundò propono tibi hunc librum, primùm Liber. quidem apertum, vt cogites tibi noctes atq; dies libris incumbendum ac sedulò adnitendū, vt veram bonorum autorum in MEDICINA sententiam intelligere & assequi possis, atq; hac saluberrima arte plurimos iuuare, ipsam deniq; iuuentutem in eadem rectè erudire, ob hanc enim causam Scholæ constitutæ sunt. Mox eundem tibi clausum trado, vt scias, non satis esse ex libris, & ipsis Præceptoribus artem vtcunq; cognouisse, sed debere accedere vsu, verum rerum Magistrum, vt continuis exercitijs iudicium augeatur, & confirmetur. In ipsis namq; libris, & à Doctoribus vniuersales tantummodò methodi proponuntur: Tuum verò est, his omnibus accuratum addere iudicium, & vniuersalia illa, ad singula indiuidua rectè accommodare, in quo tota ars consistit.

h

Tertiò

Annulus. Tertiò digitis tuis hunc imponio annulum, in signum veri & indissolubilis matrimonij, inter te, & artem Medicam contracti, cuius te totum nunc esse memineris, & in hoc vnicum attendendum, vt illi in omnibus satisfacias, alios erudiendo, dubia explicando, sanitatem præsentem conseruando, & amissam restituendo. Commonefaciat te quoq; idem annulus, te hodiè iuxta constitutionem Imperatorum Romanorum iure aureorum annulorum donari, & ex ordine plebeio in Equestre transferri. Vndè etiam, sicuti decet viros nobiles, vitæ & morum integritate alios præcedere debes, maxime verò dilectione erga proximum, cui in aduersa valetudine diligenter & fideliter succurrere debes, sicuti tibi ipsi ab alijs fieri velles.

Osculum. Quartò osculo, pacis & concordie signo, te excipio, vt statuas: me te paterno amore prosequi, & conatus tuos pro viribus iuuare velle.

Biretum. Vltimò coronæ loco rubrum Biretum capiti tuo impono, cum huic parti præcipuus honor debeat, sitq; ante omnia diligenter custodienda, eò quòd in illa tanquã in proprio domicilio & arce ratio inhabitet. Admoneat te quoq; de protectione diuina, quòd videlicet DEVS Opt. Max. illis, qui spartam suam diligenter ornant, eiq; fideliter præsumunt, certò velit adesse, & felicè successum largiri, ne labor ipsorum sit irritus.

His

His ita peractis, ego BENIAMIN LÖBSCHVITZ,
Philosophiæ & Medicinæ Doctor, Practices in
Medicina in hoc Archigymnasio pro tempore
Professor ordinarius, ea qua nunc fungor autori-
tate, te DIOMEDEM CORNARIUM, Medicinæ
Licentiatum, sacre Medicinæ Doctorem facio &
creo, creatum & promotum publicè pronuncio,
tribuens, & concedens tibi potestatem & autori-
tatem in posterû in saluberrima Medicina liberè
docendi, repetendi consulendi, disputandi, inter-
pretandi, quæstiones determinandi, & practican-
di, omnibusq; & singulis gaudendi, & vtendi pri-
uilegijs, exemptionibus, immunitatibus, & liber-
tatibus hunc gradû tam de iure, quàm de consue-
tudine concernentibus, idq; in nomine sanctæ &
indiuiduæ Trinitatis, DEI Patris, & Filij, & Spiri-
tus sancti: Ac simul eandem toto pectore oro, vt
tibi clementer adesse velit, omnesq; tuas cogita-
tiones, & actiones eò dirigere, vt hac saluberrima
arte omnibus prodesse possis, in laudem & glo-
riam sui nominis, vtilitatem proximi, & salutem
animæ tuæ. Amen.

*Nunc Academia nostra consuetudo postu-
lat, vt & tu egregie domine Doctor de aliqua
artis parte pauca dicas.*



ORATIO

De vtilitate & necessitate artis Medicæ habita à DIOMEDE CORNARIO
publicè in æde D. Stephani Viennæ, post-
quàm Doctoris in Medicina titulo
& dignitate ornatus fuit, die vi-
gesima tertia mensis
Martij.

Anno Domini

M. D. LXVIII.



Etsi vetus & honestissi-
ma huius Archigymnasij con-
suetudo, reuerendissime domine
Præsul, magnifice domine Re-
ctor, S. Cæs. Maiestatis Superin-
tendens, illustres, generosi, sacræ Cæs. Maiesta-
tis Consiliarij, nobilis & clarissime domine Do-
ctor, Vicecancellarie dignissime, nobiles, pru-
dentes,

dentes, clarissimi, spectabiles atq; ornatissimi viri, tuq; studiosa corona, me excusat, qui dicendi partes in hoc publico magnificorum ac doctissimorum virorum confessu mihi non meo consilio sumo, sed à Præceptoribus impositas sustineo, quorum voluntati & honestissimo instituto obtemperare necesse est: tamen veniam à vobis magnifici atque ornatissimi viri peto, vosq; oro, ne me potius ingenij fiducia, quàm officio adductū esse, vt in hanc cathedram ascenderem, existimetis. Id quamuis sponte & vestro iudicio facitis, tamen honestum est, iuniores reuerenter petere, vt eorum orationem in publico cœtu seniores patienter audiant, boniq; consulant. Faciam enim, licet nouitate argumenti placere non potero, vt propter breuitatem minus ingrata sit oratio. Et quia vsitatum hætenus fuit, Medicinæ laudes ex hoc loco declamitare, nolo & ego ab eo argumento longius deflectere, sed paucis admodum de re amplissima dicam, quòd intelligo mihi eam sermonis copiam & benè dicendi Facultatem deesse, quàm eius artis virtutes deposcunt. Nam ex prophanis nulla est ars, quæ plures vtilitates ad vitam adferat, quæ plura, aut gratiora vitæ feliciter degendæ adminicula nobis promittat, sicq; cū Medicinæ vtilitas in conspectu nostro palam po-

sita sit, omnium mortalium studia, fauoremque meretur. Nunc si libet vtilitate metiri Medicinam, quæ ætas est, quod vitæ tempus, quod huius ope non indigeat? Omnes enim inde usque ab ea hora, qua primum nos ex aluo materna excipiunt obstetricum manus, per omnes ætatum gradus, utimur artis Medicæ beneficijs innumerabilibus, quemadmodum non solum gentium, ac barbararum linguarum Autores, verum etiam sacra Biblia Medicinam ubique prædicant, ac tanquam solam hanc diuinitus hominibus concessam iactant, ut tantæ eorum fragilitati, per hanc consilium exhibeatur, quo virium nostrarum infirmitatem aliquantisper sustentemus. Quod quum ita sit, multi tamen nec cogitant artem Dei donum esse, nec Deo Conditori remediorum, & artis ipsius monstratori, gratias agunt, nec reuerenter de arte sentiunt, nec loquuntur: ipsæ matres edito foetu, infinitis morbis obnoxie sunt, quæ sine ope medica seruari non possunt. Matricis enim pericula penè infinita sunt. Atque in eiusmodi periculis remedia non ostentationis causa adhiberi, sed verè efficacia & salutaria esse, plerumque testatur experientia. Deinde vlcera omnibus infantibus communia sunt, quæ haud maturescerent, sed alios morbos afferrent, nisi ars opitularetur. Sed omitto
hanc

hanc enumerationem, quæ ne quidē magnis voluminibus integra comprehendi posset. Ideò autem de primis vitæ initijs dicere cœpi, vt cogitemus, non matribus duntaxat nos gratitudinem debere, sed etiam arti Medicæ, qua puerperis, & foetui opus est. Atq; in ea cogitatione non minus hominum diligentiam, aut remedia intueamur, quàm Dei bonitatem agnoscamus, qui & remedia condidit, & vsum monstravit, vt aliqua ex parte huius vitæ misérias leniret. Nam quum Deo & natura bellum gerunt hi Cyclopes, qui in tuenda valetudine temperantiam, & in periculis omnia remedia contemnunt. Vitam, bonam valetudinem, & vitæ præsidia, **DEVS** affirmat res bonas, & à se conditas esse, & his diuinis muneribus nos frui iubet. Agnoscamus igitur hæc bona, & ea amemus, & Conditori gratias agamus. Necessarium autem esse & remediorum, & artis Medicæ vsum, sacrae literæ palàm docent. Affirmat etiam sententia Sirach: Medicum honorandum esse. “
DEVS enim creauit ipsum propter necessitatem, “
quod quidem exempla quotidiana ostendunt. Ac disertè addit Sirach: Altissimus creauit remedia ex terra, & à **DEO** est omnis medicatio, quia non modò remedia ità distincta sunt Conditoris consilio, vt alia alios morbos depellant, alia alijs mem-

membris conducant, sed etiam Medici consilium & industria, diuina quadam vi gubernatur, & efficacia à Deo adiuiatur. Atqui si vsquam fides est adhibenda vulgari prouerbio: hominem homini Deum esse, hac in parte id profectò rectissimè vsurpatur, quia diuina vi Medicus ægrotis salutem tuetur. Neque verò tantum in tollendis corporum malis vim suam declarat Medicina, sed animos etiam contagione vitiatos sanat. Denique vniuersum vitæ cursum faciliorem reddit, dum vitare morbos docet, & si qui acciderint, mitigat. Itaque vehementer ingrati sunt, qui Medicinam vitæ datricem ac seruatricem non suspiciunt, non admirantur, non mouentur artis vtilitate, nec Conditoris bonitate, vt & remedia, & hanc doctrinam magnifaciant. Nam quæ naturas rerum tractat philosophiæ pars, tota in Medici consideratione consistit, vt ferè ad nullos alios spectare videatur. Hic enim latissimus campus se aperit omni genere frugiferæ eruditionis refertus. Hic herbæ, flores, semina, fructus, folia, ligna, cortices, radices, liquores, succi, gummi, & similia, quæ omnia futuro Medico diligenti cura decerpenda, colligenda, & conseruanda sunt. Sed non dicam nunc de stirpibus, de plantis, & similibus, duntaxat enumerabo paucissimis, quòd alia remedia alijs mem-

membris corporis conueniant, vt indè in tanta
multitudine diuersitas vsus, ac virium appareat.
Salua enim, rosæ, maiorana cerebro: Crocus,
fantali, libanotis, coralli, aurum cordi: Eupato-
rium, cichorium hepati grata sunt remedia: sic
pulmoni glycyrrhiza, iris, prasium: pectori hyf-
sopus, heleniū, adiantum: spleni phyllitis, asple-
num, tamarix, teucrium: matrici artemisia, me-
lissa, matricaria, pulegium: oculis fœniculum,
chelidonium, euphrasia. Neruis malua, melilo-
tus, chamomilla conueniūt. Prætereà scamonea,
& rhabarbarum bilem præcipuè flauam: Agari-
cus, aloë, phlegma: Polypodium, colutea, atram
bilem trahunt. Sed enumeratio longior non est
huius loci. Hanc autem penè infinitam virium
distributionem, quæ & in speciebus manet perpe-
tuò, casu extitisse, nequaquam consentaneum est.
Et cùm manifestum sit, artificem intuentem na-
turam hominum, hæc ei adminicula addidisse, af-
fici eum cura generis humani necesse est. Quid est
autem honestius, quid homini conuenientius,
quid homine magis dignum, quàm hominum sa-
luti, quantum eius fieri potest, opitulari, atq; pro-
spicere? Nam quemadmodum sæpè leui occasio-
ne periculum letale homines incautè sibi accer-
sunt: ità econtrà sagax Medicus sæpè letalia pe-
ricula

ricula remedijs etiam vulgaribus discutit, vt quotidiana exempla testantur, hinc sequitur, nihil in Repub. vtilius bono ac docto Medico esse posse, siquidē nihil cuiuspiam charius sanitate corporis sui in vita extat. Quum igitur ars vtilissima sit vitæ, ad valetudinem tuendam, & plurimum dignitatis ob maximarum rerum scientiam habeat, & laudata sit præconijs diuinis, & de prouidentia monstret illustria testimonia, expetendam, cognoscendam, & venerandam esse, non est dubium.

Ceterum quum constet, omnem nostram naturam ac facultatem, qua per omnes ætates regimur, nihil esse aliud, quàm primam illam atq; purissimam solidarum partium à semine progenerarum substantiam, quam calorem innatum propriè dicimus: factaq; sit mentio iam antea ipsarū ætatum, oritur Quæstio apud Medicos:

V. Calor iste innatus maior sit in puerili, quàm in ætate iuuenili?

Supereft igitur, vt ad hanc quæstionem dubitabilem me conferam, quàm vt veteri laudatissimæ consuetudini satisfaciam, pro virili, breuiori sermone, habita ratione temporis, dissoluere conabor.

Sunt

Sunt quidem rationes & autoritates non contemnendæ, quæ confirmare videntur, iuuenū calorem esse maiorem & validiorem calore puerorū.

Ac prima quidem ratio à substantialiter in-
hærentibus sumpta est:

1.

Quicumq; plus de sanguine, plus etiam de calore habent.

Sed in iuuenibus plurimus atq; copiosior existit sanguis.

Ergo sunt pueris calidiores.

Maior est notissima, & probata ab Aristotele, tum in 2. de generatione animalium, cap. 1. & 2. tum in 2. de partibus animalium. Sed minor probatur ex Galeni autoritate, 1. prognosticorū, com. 33. ubi inquit: In iunioribus quintum & trigessimum annum agentibus per hanc ætatem sanguis plurimus est, & item facultas valentior, atq; etiam calor exuperans. Indicat autem hoc, ut ait Hippocrates, in illa ætate sanguinis fluxus. Eandem mentem habuit Hippocrates 3. prognosticorum 12. inquiens: magis expectari sanguinis oportet eruptionem in minoribus natu quintum & trigessimum annum agentibus: In maioribus verò natu suppurationem. Et addit Galenus in commento, causam perspicuam esse, ut ætas ad quintum & trigessimum annum plurimū gignat sanguinis.

i 2

Se.

2. Secunda ratio similiter à substantialiter inhærentibus sumpta est, quia iuvenes abundant humore bilioso, qui omnium est calidissimus.

Ergo sunt calidiores pueris tanta copia bilis carentibus.

Quod autem adsit in iuuenibus multum bilis, manifestum est.

3. Tertia ratio sumpta est à functionibus actiuis, quæ validiores ac robustiores in iuuenibus, quàm in pueris existunt, quemadmodum experientia notum est. Nam pueri non adeò facile incedunt, nec currunt, nec portant, nec quicquam summatim in agendis operibus pariter obire queunt cum his, qui sunt in ætate iuuenili. Igitur cum iuvenes sint validiores & magis perfecti pueris, ipsos calidiores censerì consentaneum est.

4. Quarta ratio sumpta est ab operationibus naturalibus.

Operationes naturales in iuuenibus validiores sunt, quàm in pueris.

Ergo plus caloris est in iuuenibus, quod inde probari potest, quia iuvenes habent appetitum validiorem. Nam appetunt satis appetitu naturali: In pueris autem appetitus non dicitur naturalis, imò præternaturalis, ex quo arguitur potius frigiditas, quàm caliditas, quia plurimum appe-

appetentes habent ventriculum frigidum, quo fit, ut excitet appetitum præternaturalem & immoderatum.

Præterea iuvenes cibos siccos facilius concoquunt, quàm pueri, ob quam causam pueri paucioris ac hebetioris existunt caloris.

5.

Insuper iuvenes sunt vigilantiores. Pueri verò somnolentiores. Somnolentiæ autem causa est temperamentum frigidum & humidum: Sed vigiliæ calidum & siccum, quemadmodum Galenus 2. artis Medicinalis docet.

6.

Ergo iuvenes sunt calidiores.

Denique in maiori quanto plus est caloris, quàm in minori.

7.

Sed iuvenes habent corpora maiora. Ergo plus habent caloris, quàm pueri.

Atq; hæc sunt rationes & auctoritates, quibus probare quidam volunt, iuuenum calorem esse maiorem calore puerorum.

Sed tamen non desunt, qui rationes & auctoritates non infirmiores afferunt, cur censeant calorem in pueris esse maiorem, quàm in iuuenibus, quemadmodum Galenus 2. de temperamentis copiosè declarat, quæ prolixius persequi propter temporis angustiam desinam.

Quid autem amplius de hac quaestione dubia sentiendum sit, & vtra sit magis veritati consentanea sententia, vberius tractandum deferro doctissimo viro, domino M. IOANNI KAZIO, Medicæ artis Candidato, quem pro veteri nostra amicitia, vt iudicium suum de hac quaestione aperiat, oro.

DIXI.



BRE-

BREVIS RESPONSIO

ad quæstionem à

DIOMEDE CORNARIO

Medicinæ Doctore propositam, IOAN-

NIS KAZII artium liberalium

& Philosophiæ Magistri.

I N tanta opinionum diuersitate de puerorum & iuuenum calore, quid certi statuam, non occurrit doctis. domine

Doct̃or Cornari, quum etiam magnus ille Galenus 2. de temperamentis cap. 2. Auicenna quoq; , & alij Medici non nihil hæserint. Verum ne hoc officium à T. E. meis humeris impositum, studio & data opera detrectare, aut subterfugere voluisse videar, paucis pro hac temporis inopia ostendere conabor, iuuenilem calorem puerili esse validiorem. Certum enim est, consensu omnium philosophorum & Medicorum, calorem innatum instrumentum esse omnium actionum animalium.

Et primò quidem grauissimo omnium Nationum iudicio, quæ iuuenū statum ob summā perfectionē & integritatem florentē ætatē nominant, quod tamen pueritiæ & senio constantissimè denega-

1.

negatur. Perfectionem autem hanc iuuenibus accidere à caloris innati magnitudine, obscurum nemini esse potest. Quod si medij ratio in eo consistit, ut extremi vtriusq; particeps sit, certum euadit, iuuenes inter pueritiam & senectutem constitutos præcipuum perfectionis statum consecutos ope & beneficio caloris, ut quæ nimirum neque ut senium immodica siccitate inarescat, neque ut infantium ætas nimio humore madescat. Hinc sanè proficisci censendum est præclarissimas ad omne negotiorum genus functiones.

2. Secundò iuuenes generant sibi simile, quod maximum est naturæ, hoc est, caloris innati opus. Sed pueri ad generationem sunt inepti, utpote minori calore instructi. Ergo vegetior & robustior est in iuuenibus calor, quàm in pueris.

3. Tertiò alimenta etiam duriora iuuenes faciliùs, quàm pueri conficiunt, & mollia ut pueri æquè benè. Ergo maior est iuuenum, quàm puerorum calor. Quod autem pueri deterius duros concoquant cibos, non solum ex Galeno 3. de sympt. causis, cap. 3. constat, sed etiam vsu & experientia compertum est.

4. Quartò iuuenes generant humores calidiores, bilem, sanguinem magis siccum & fibrosum. Ergo longè antecellunt pueris virtute caloris.

Quin-

X Quintò iuuenes tentantur & corripuntur 5.
 morbis ardentibus, caufone, pleuritide, peripneu-
 moria, phrenesi, hæmorrhagia, &c. Ergo sunt pu-
 eris calidiores, quum his affectibus non, vel ra-
 rissimè infestentur pueri.

Sextò iuuenes sunt fortes, sunt magnanimi, 6.
 sunt iracundi, sunt bellicosi, sunt furiosi, perspicac-
 es, vigiles magis, quàm pueri. Ergo sunt illis ca-
 lidiores.

Septimò adulti sensibus præstant pueris. Er- 7.
 go vegetiorem nacti sunt calorem. Quod enim
 melius videant, olfaciant, tactu discernant, &c. ob-
 scurum non est.

Octauò virtus motiua magis elucet in iuueni- 8.
 bus, quàm in pueris. Ergo hoc fortiori adscriben-
 dum est calori.

Nonò omnes labores, vt & vacuationes, faci- 9.
 lius perferunt iuuenes, quàm pueri. Ergo vires in
 eis sunt longè validiores, proindè etiam calor in
 eis fortior existit.

Decimò in grauissimis & periculosissimis mor- 10.
 bis facilius euadunt iuuenes, quàm pueri, quos le-
 uissima occasio è medio tollit. Ergo fortior est
 iuuenilis calor.

Vndecimò natiuus calor excitat iuuenibus su- 11.
 dores, mariscas, menses, vomitus, alui profluvia,
 k quod

quod tamen in pueris non apparet, licet amplior
rem ad has euacuationes humiditatis copiam in
se contineant. Ergo longè calidiores pueris erunt
iuuenes.

12. Duodecimò, calor puerilis est ad perspirationē,
& euaporationem, utpote humidior & habituo-
rior, magis promptus, quàm iuuenum. Ergò plus
caloris primigenij deperdunt pueri, quàm iuue-
nes, propterea etiam minor retinetur in pueris ca-
lor, quàm in iuuenibus.

13. Decimotertiò, si calor iuuenum non est forti-
or puerili calore. Ergo vel est æqualis, vel debi-
lior: Sed neutrum dici potest. Nam si est æqualis,
pueri æquè erunt perfecti, sicuti iuuenes, atque ita
eadem munia obibunt, quod tamen falsum est.
Nec debiliorem habent iuuenes calorem, quum
ad omnes actiones obeundas promptissimi sint
& aptissimi. Ergo non habent æqualem, nec de-
biliorem calorem. Concludo ergo (licet me non
lateat, non deesse Autores, qui æqualem velint)
in iuuenibus robustiorem reperiri calorem, quàm
in pueris.

Verùm licet varia in vtramque partem affe-
rantur argumenta, ea tamen, quantum ingenij
mei fert tenuitas, facilè conciliari possunt hac
distinctione: Si scilicet consideretur calor secun-
dum

dum substantiam per se, maior erit in pueris, utpote non procul à principio generationis suæ existens. Principium autem eorum calidum erat & humidum, semen videlicet, & sanguis menstruus. Et quia calor puerilis est humidus, & magis principium suum referens seu repræsentans, quàm calor iuuenilis, qui siccitatem sibi acquisiuit, facillè colligere est, puerorum calorem maiorem esse secundum substantiam & gradum. Si verò spectetur calor non secundum gradum & substantiam, sed in ordine ad actiones, sic necessariò concludendum est, fortio rem esse calorem iuuenilem, quàm puerorum. Plura enim pueris iuuenes obeunt. Quod autem calor iuuenilis sit actiuior, quàm puerorum, id fit, quòd adiuuatur à siccitate, quæ licet qualitas sit passiuæ, est tamen fortior, quàm ipsa humiditas. Hinc ergo fit, ut pueri nec memoria valeant, nec actiones alias animales, quæ ad sensum & motum spectant, ob nimiam in eis humiditatem abundantem, obire possint.

Verbis sequentibus habui gratiam ego DIO-
MEDES CORNARIUS Medicinæ Doctor domi-
no M. Iohanni Katzio, postquàm quæstionis du-
biæ dissolutionem absoluisset :

k 2

Habeo

Habeo gratiam tibi doctissime domine Magister, amice charissime, quod honoris mei causa hanc dicendi ex hoc loco provinciam suscipere non es grauiatus.

Deniq; promotor BENIAMIN LÖBSCHÜTZ egit gratias omnibus ac singulis in actu hoc Doctorali præsentibus, inprimis verò Deo Optimo Maximo, &c. vt sequitur.

GRATIARVM ACTIO

Promotoris Benjamin
Löbschütz.

R Estat vt secundum laudabilem consuetudinem hunc actum gratiarum actione claudamus. Primum igitur toto pectore gratias agimus D. O. M. patri Domini nostri IESV CHRISTI VNâ cum dilecto suo Filio domino nostro IESV CHRISTO, & sancto suo Spiritu, quòd bonarum artium, & omnium Facultatum studia, in hac Academia non finit extingui. Deindè maximas quoq; habemus & agimus gratias Illustriss. ac Potentissimo domino, domino Max. II. elect. Rom. Imperatori, Hungariæ, & Bohemiæ Regi, &c. domino nostro clemen-

clementissimo, qui dignitatem sui muneris intelligens, quòd præcipua in gubernatione cura esse debeat, vt omnes artes rectè & fideliter iuuentuti prop' nantur, conseruat & fouet hanc nostram Academiam. Tertiò magnas quoq; habemus & agimus gratias reuerendissimo domino præfuli Modrusiensi, Rectori nostro magnifico, reuerendissimo quoq; nostræ Academiæ Cancellario, illustribus & magnificis Cæsareæ Maiestatis Consiliarijs, magnifico domino Superintendenti Cæsareo, nobili, optimo, atq; prudentissimo Senatui Viennensi, magnificis, nobilibus, atq; clarissimis dominis Doctoribus, Magistris, Baccalaureis, & omnibus studiosis, auditoribus & spectatoribus iucundissimis, qui sua frequentia se de studijs literarum, & arte Medica, cuius propagatio nostro Collegio commissa est, rectè & honorificè sentire ostendunt. Quæ omnia pro nostris viribus de omnibus & singulis semper promereri conabimur.

D I X I,

μόνω τῶ θεῷ δοῦναι.



Lipsiæ

IMPRIMEBAT MICHAEL
LANTZENBERGER.

Anno

M. D. XCIX.



